



## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Cap. X. Objectionibus contra excerptendi sollertiam respondetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

Senec. ep. 84.  
imit.

Hic ego tibi Senecæ verba ingero: Apes, ut ajunt, debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde, quicquid attulere, disponunt ac per favos digerunt. & ut Virgilius noster ait,

Virgil. Æn. I.  
Æneid.

liquentia mella  
Stipant, & dulci distillant nectare cellas.

Ita quicquid lectione collectum est, stylus redigat in notas.

Vade igitur ad apiculam, quicquid excerpenti modum aut ignoras, aut ignaviam amas. Quin sequimur, Faustine, melligeram hanc plebeculam, quin volucres innubas, & florilegas aviculas istas imitatur: Obsecro, non minus his animalculis in rem nostram sapiamus. Præstantiores auctores veluti flores nobiliores eligamus, hinc succos exugamus meliores. Stertimus & otiamur: avolat ætas, fugiunt anni hauriendis scientiis apti; nos neque mel, neque ceram facimus; jejuna semper erit & dictio nostra & scriptio; tam oris, quam calami paupertatem nunquam effugiemus. Excerptum, & Notandum est.

6. Excerpta nobis sunt instar bibliothecæ.

Sexta ratio. Excerpta nobis instar bibliothecæ sunt. Locorum varietas, & librorum penuria hoc nobis compendium facile persuadent. Expertus sum ego jam sæpissime hæc in libris permolestam difficultatem: quis enim eos semper ad nutum habeat? Non in prædium vir Religiosus mihi graviter questus: Quos libros Augustæ, inquiebat, quos Ingolstadtii, quos Dilingæ, quos Lovanii, quos Colonia, quos alibi ad manum habui, illos jam quero, & nusquam reperio, aut tali domino mancipatos, qui eis carere nolit. Meis itaque fruor Excerptis, quæ mihi bibliotheca sunt, facili negotio in omnem locum asportanda. Felix eram Lovanii, ubi poetas veteres, ubi præcos historicos omnes, & omnia Lipsii opera; ubi melioris notæ Philosophos & Theologos in meo museo inter ceteros numerabam. Nunc subinde vacuus in scopulo piscator hæreo. Vix pauculos historicos, & quidem editionis flagitiosæ ætate; Lipsium hoc loci in Pentheum migrasse credo, adeo lacer & dissipatus est; illius pauca invenio, & editionis dissimillimæ. In melioribus libris ceteris supellex curta. Itaque usum æmulor, & fructu unguium meorum victo, Excerptis meis utor. Excerpta non consecissem, nec dicere quidquam, nec scribere haberem. Libri destituunt, memoria non succurrit, olim lecta jam prædium effluerunt, interim dicendum aliquid & scribendum est. Ad meam igitur bibliotheculam memet recipio. Notas meas repeto: voces Timonis Venustini jacto,

Horat. lib. 1.  
Serm. sat. 1.

populus me sibilat: at mihi plaudo

Ipse domi, simul ac nummos contempletur in arcæ;  
simul ac dicendi scribendique copiam in familiaribus mihi paginis intueor. Hæc apud me vir mihi amicissimus perorabat, cui ego totus assentior.

Incredibile profecto est, quam utile volumen rerum selectarum, tempore non multo possit confici; è quo utilitatis plurimum ad eum redundabit, qui in hoc non hospes fuerit, sed civis. Hæc uti Excerptorum opportunitas, si vel sola sit, omnem Excerptum laborem abundantissimè compensat. Excerpta propria, bibliotheca compendiosissima, optima.

7. Hominum eruditorum ac sapientum pane omnium testimonio, voces, & exempla excerpte suadent.

Septima ratio. Hominum eruditorum ac sapientum pane omnium testimonio, voces, & exempla, quod uberiori jam supra demonstratum est. In multis repetitis doctores & suaves plurimos, plerumque tamen non adeo multos factores. Suadere primum est, promptumque vel imperito cuique; dextrè facere paucorum. Hic verto & canto: Plures numerabis, qui fecerint istud, quam suaverint. Neque enim omnibus lubuit sui profectus rationem aliis detegere. Suaverunt hoc multi, sed plures suavoribus fecerunt, de compendio arcano sibi plurimum gratulati. Exercitium utique multò utilissimum est, & reverà necessarium ad eruditionem non plebejam anhelanti. Si nos, Faustine, hæc soli velimus

A sapere, desipimus soli, sed in nostram perniciem. Ego fatius duco cum multis, sed eruditis desipere, quam solum sapere. Licebit quidem non excerpte, sed licebit etiam plurima necesse, innumera oblivisci, pane omnia incassum legere; licebit tempus frustra terere, & optimas horas pessimè perdere. Hoc senatus doctissimorum hominum pridem observavit, ideo è lectione omni excerptum censuit; qui secus faxit, in supplicium habeat ignorantiam, & amissi temporis jacturam. Ita doctissimi quique sentiunt. Adversus hunc torrentem oblectari fatuum est. Sed tuas nunc objectiones audiam.

## CAPUT X.

### Objectionibus contra Excerpti sollicitudinem respondetur.

B FAVST. Ergo fari jubes, & dictis tragulam \* injice. \* Teleg. re. EVLOG. Liberrimè, sanatur ulcus cum rum-pitur, & ejecta tragula quandoque in auctorem revolat. Dic quod sentis.

FAVST. Principio de illis fastigiis hominum multa differerebas, qui nescio quot decades librorum typis mandarent. Nihil hoc contra me; talem ego arietem, meique similes non timeamus; hoc epichiremate nihil persuades. Ego nulla molior volumina, nec unquam in lucem quidquam extrudere cogitavi. Typi à meis libris æternum feriantur. Ego Plinius, ego Lipsius, Pontanos, Delrios non expungam codicum edentorum multitudinem. Nec cupido tot libros scribere, quot Didymus, quot Origenes, quot Trifmegistus, aut Tostatus aliquis; ego me inter lectores censeferi volo, non scriptores: quid ergo mihi cum Excerptis? hæc illi curent, qui publico sua parant vendere. EVLOG. Audio; & verum esto, ut illud non cogites, saltem subinde voles, aut etiam cogèris orationum, vel epistoliarum componere: affirmatè dico, nec hoc ipsum quidem cum dignitate poteris, absque Excerptis. Vide plurimorum epistolas rerum omnium inanes, flaccidas, elumbes, steriles, ineptas, plumbeas, sine nexu, sine nervo, sine ullo colore, in quibus nec præca, nec novæ litteraturæ vel vestigium reperire sit. Sed eorumdem scriptas orationes inspicere; verborum flumen est (& nec hoc quidem) rei aut rationis nihil, sed rivulus gracilis, & solo strepitu loquax; nullæ hinc elegantia, nulli sales, nullus nitor, gratiarum nihil est, subinde nec miculam in iis deprehendes, quæ præcam eruditionem sapiat, nihil sani aut vivi coloris; nil florum aut amœnitatis quidquam aspersum. Quod ille de Luscinia, hoc de scriptis talibus dicendum: Vox es, prætereaque nihil. Causam tantæ paupertatis ne quaere; in promptu est: nec verborum, nec phrasium, multò finis rerum Excerpta habent: in dies vivunt; parati nihil est. Hinc dictio & scriptio tam paupertina, sordida.

Inò fit nonnumquam ut talibus dicendum in publico, cum Philosophiæ, aut Medicinæ, aut Jurisprudentiæ, vel Theologiæ Doctores jubentur; sed illi tales, quia fodere noluerunt, mendicare coguntur. Cum enim eorum nihil habeant, quæ ad orationem struendam faciunt, velut pueri vix Grammaticæ gnari alios appellant: Quæ te, orationem mihi scribe, gratiarum actionem para, ad questionem positam responde. O mendicimonium ignavum; si quidquam excerpte voluissent, jam aliis non supplicarent; sed quia non tantum nihil notatum habent, sed etiam ignorant, ubi scribendorum aliquid quarant, unde dicendi subsidium petant, ideo ad mendicitatem indoctissimam sese applicant. Incertiam malunt proderè, quam emendare.

Vides, Faustine, non tantum libros scripturis, sed etiam orationem, aut tale quid composituris. Excerpta esse necessaria.

FAVST.

**F A V S T.** Sed alteram in Excerpta tragulam in-  
 queo: Minus memoriae student, qui Excerpta curant:  
 nam ubi quidpiam in Adversaria sua retulerint, sine cu-  
 ra sunt, & segni animo, tamquam ipsi jam teneant, quod  
 chartis commiserunt. **E V L O G.** Mantelum pignitæ co-  
 loratum, & scire factum, sed lacerum: quasi verò pri-  
 marium memoriae subsidium memoriam oppugnet.  
 Dixi neminem tam felicis esse memoriae, qui omnia,  
 quaecumque legèrit, complectatur, & retineat. Igitur  
 ab Excerptis petenda sunt adminicula, non ut memoria  
 minus exerceatur, sed ut feliciter in opere suo promo-  
 veatur. Adde: Nemo Excerpta cum suis indicibus peri-  
 tè tractaverit, qui noluerit reminiscantiam exercere.  
 Nec enim satis est, excerptare, nisi memineras, an, & quid,  
 excerpteris. Atque adeò Excerpta & Notæ memoriam  
 non ad desidiam resolvunt, sed ad labores adigunt.  
 Quisquis igitur memoriae quàm maximè consultum  
 cupit, Excerpta & Notas perpetuet. Nisi forsàn Char-  
 mides Græcus sit, aut ejus frater, qui simillimus Char-  
 midæ. Vir iste oriundus è Græcis eâ vi memoriae polle-  
 bat, præcis asseverantibus, ut quoscumque libros in bi-  
 bliothecis legisset, eos confestim memoriter recitare  
 posset. Si talem te proficere, Faustine, ab Excerptis te  
 liberum pronuntio: sin minus, nec te, neque ullum  
 alium à conscribendis Notis eximium dico. Spertam  
 quam naclus es, orna; memoriam, quam adeptus  
 es, juva.

**F A V S T.** Sed tertiam in Excerpta jacto tragulam:  
 Plurimi sunt, nec adeò indocti, qui hanc Excerptandi ar-  
 tem aut hætenus ignorarunt, aut certe non usurparunt.  
**E V L O G.** Hic velim digium imponas ori, & ficalneam  
 argumentationem tuam alto silentio defodias. Argu-  
 mentum istud, fateor, usitatissimum est, sed pessimum:  
 Plurimi hoc faciunt. Ergo. Tu verò quid inde com-  
 monstras? Non ideo bene fit, quod à multis fit. Erran-  
 tium multitudo nihil patrocinatur errori. Noli esse nu-  
 merare, qui à viâ descedunt. Sequere vel paucissimos,  
 sed te dco calle incedentes. Pythagoræ mōnium est: *Per  
 viam publicam non ito.* Non ut eam incesso vitemus, sed  
 ut sensu, moribus, vitâ. Ignavia numquam erit pulchra,  
 quod ea multis placeat. Multi, ais, nil excerptunt. Quid  
 tum? Multi etiam parum supra vulgus proficiunt, hinc  
 inter eruditos in imo herent subsellio. Nec illi hoc pens  
 habent, modò farinam & panem eruditione quantum-  
 vis debili lucentur. Neque verò quidquam dubii est,  
 quin illi tam parca diligentia juvenes, multò præstā-  
 tiores evaderent, seu Philologi, seu Medici, seu Juris-  
 consulti, si maturè ac sedulo excerptare inciperent.  
 Multis danda venia ob ignorantiam; nil illis ignoscen-  
 dum est, quos laboris odium absterret ab exercitatione  
 tam fructuosâ. Sed perge opponere.

**F A V S T.** Quartam ergo tragulam expedio: Prisco-  
 rum sapientum ævo, cum artium & scientiarum cultus  
 maximè floreret, auditione ac commentatione, non  
 scripto tradebantur disciplinæ. Hoc Pythagoræorum  
 in Italiâ, hoc Druydum in Galliâ, hoc Gymnosophista-  
 rum in Indiâ fuit institutum. **E V L O G.** Speciosum videri  
 posset hoc argumentum, nisi esset vitiosum non unâ  
 parte. Fac esse nil scripserint in scholâ, nil ergo in tabel-  
 las domi retulerunt? unde igitur eorum scripta ad nos  
 permanarunt? Deinde, priscorum scriptio fuit admo-  
 dum operosa & difficilis, nec sine majore sumptu. Cerâ  
 illi, aut lino, philyris, corticibus, foliis arborum, plum-  
 bo, membranâ, palimpsesto utebantur. Nos commo-  
 distimè chartâ utimur, typographiis gaudemus; ratio  
 scribendi expeditissima, modò non magis placeat labo-  
 re otium. Adde: Si argumentatio tua ullarum sit vitium,  
 mos Academicarum omnium erit abolendus; ubi  
 non audire solum, sed & scribere atque annotare disci-  
 puli solent. Quin igitur ad Academiâ excurris, & tuam  
 illis auditionem ac commentationem ingeris, omnem-

que scriptionem tollis? cave hic verbulum addas, aut  
 suppletionem pedum salutaris. Sed quia pharetram  
 tuam, ut conjicio, nondum exhaustisti; dic porro, & op-  
 pone plura.

**F A V S T.** En ergo quintam tragulam: Quid si ejus-  
 demodi commentaria & Notæ sineis, muribus, blattis  
 in epulum cedant, quid si aquæ illa jugulent, quid si ca-  
 nis ea concerpat, fur auferat, ignis comburat, casus alius  
 eripiat? **E V L O G.** Quid si canem ruat? hi hostes non  
 tantum libris, sed & vestibus, pecuniis, domibus timen-  
 di: num ideo vestem non conficias, pecuniam non col-  
 ligas, domum non construas, quia hæc vel auferri, vel  
 comburi possunt? Non nescio quid Antikhenes cui-  
 dam dixerit, qui librum, in quem omnia retulisset, per-  
 ditum plorabat. Cui vir sapiens: Atqui hæc, inquiebat,  
 oportuit, animo commendare, non chartis. Quo effato  
 philosophus non voluit memoriæ mandari omnia (quis  
 enim id possit?) sed multa, quod & nos docemus, ne  
 scrinia nostra doctiora sint, quàm ingenia nostra. Sed  
 perge, si liber, obducat.

**F A V S T.** Sextam igitur extollo tragulam: Quis char-  
 taceam supellestem suam quocumque secum circum-  
 vehat? Stulphon sua secum omnia ferebat mente, non  
 chartis. **E V L O G.** O te militem, Romanum scilicet, &  
 præcis roboris! Vetus Romanus miles pro more ac ritu  
 militiæ hæc habuit, quadruplicia portanda onera: Ci-  
 tum, Vrensilia, Vallum, Arma. Expende singula. Cibum, pa-  
 nis fuit buccellatus in mensem dimidium, sæpe totum.  
 Vrensilia, Hasta & Scutum, præter hæc, serra, corbis, ru-  
 trum, securis, lorum, falx, catena, olla, veru, & si quæ alia  
 ad victum sunt. Valli, tertium onus. Ex usu ternos, aut  
 quaternos, aliquando septenos, aut etiam duodenos  
 vallos tulerunt, ut, si castra subito locanda, vel alia foret  
 necessitas, vallare statim se liceret. Arma, quartum onus.  
 galea, lorica, gladius. Ista omnia Romana militi feren-  
 da. Hæc mihi, ut scias, & Lipsiò Excerpta suggerunt. Et  
 numquid rectè talem te militem dixi, quadruplici, tan-  
 toque huic oneri portando parum, qui duos tresve char-  
 taceos libellos fere refugis? Adde: Excerpta, si cum  
 judicio fiant, non faciliè unquam in eam molem excre-  
 scent, quæ non expedire commodèque ex uno loco in  
 alium transferatur. Mecum senties, cum Excerptandi  
 modum à me accipies. Stulponi pax sit, & eat bonis avi-  
 bus, qui Demetrio Poliborcetæ interroganti, Num quid  
 perdidisset? Nihil, inquit, omnia namque mea mecum sunt.  
 Cum tamen patrimonium illius in prædam cesserit, si-  
 lias & patriam hostis rapuerit. At ille habebat secum  
 vera bona, intelligentiam & memoriam artium & disci-  
 plinarum omnium capaces, insuper & virtutes rectique  
 conscientiam. His sese bonis solabarur Stulpon. Sed  
 quid hæc adversus Notas & Excerpta? Etiamnum ha-  
 bes, quod obducas? Septimam quoque tragulam emitte.

**F A V S T.** Dictis acquiescere statueram: sed, ut ju-  
 bes, hæc addo: Videri tempus non adeò religiosè ac  
 utiliter expendi colligendis Excerptis. **E V L O G.** Hæc  
 quidem, Faustine, commodius retinuisse silentium.  
 Cave hic idem tibi occinam, quod Apelles Alexandro  
 Macedoni de coloribus imperitè multa differenti, si-  
 lentium comiter suadens: Aut sile, ait, aut pueri, qui co-  
 lores terunt, te ridebunt. Tunc temporis prodigentiam  
 hic objicias? Re nullâ utiliùs expendes tempus quàm  
 conficiendis Excerptis. Illud verissimè tempus est non  
 solum prodigere, sed studio perdere, libros otiosè vol-  
 vere, multa legere, nihil excerptare, nihil memoriae reco-  
 lendum seponere. Hæc vera temporis jactura est, legis-  
 se, & aut nihil retinuisse, quod diu inhæreat, aut nihil  
 excerptisse, quod usui futuro serviat. Si temporis pre-  
 tium estimare noris, nil unquam leges, nec quidem ani-  
 mi causâ, quin simul excerptas. Otiosa, vana, nugatoria  
 est lectio, cui nulla misceretur scriptio. Nisi Thomam  
 Kempensem aut similes legas. Quamvis nec hanc qui-  
 det

Objec-  
 tio.

Resp.

Objec-  
 tio.

Resp.  
 Quatuor  
 onera por-  
 tanda pro  
 ritu mili-  
 tariae habuit  
 miles Ro-  
 manus.

De his Li-  
 bris lib. 1.  
 Rom. milit.  
 dial.

De hoc vide  
 Senecam l.  
 de Constā-  
 tia sapiens.  
 c. 5. ep. 9.  
 post med.

Objec-  
 tio.

Tempus  
 nullâ re  
 utiliùs ex-  
 penditur  
 quàm con-  
 ficiendis  
 excerptis.

dem lectionem velim annotationis omnis expertem. At sunt, qui studiosos se putent, cum libro signum infixerint, eumque fecerint figmatiam. Ohe libellum miserum! ohe, quem tales faciunt injuria. Nam ungue codici notam imprimere, pagellæ auriculam insectere, atramento aut minio, quæ placent, inducere, pigritia est prorsus sordida, & maximam partem inutilis, ac supervacanea. Quid libros his contumeliis inceltamus Exiguum, aut nullum est memoriæ subsidium, & magna libri infamia. Si quid notatum vis, breviter exscribe, & librum præsta immnem ab hoc dedecore.

Virgil. l. 7. Aeneid. cir. ca med.

8. Objectiono.

Resp.

Si quid tragularum, Faustine, superest, pharetram omnem veua; concute secundam pectus, & objectiones sparge toto plausu.

FAVSTI. Restat unica, sed non hebes, ut arbitror. Octavam ego tragulam emitto: Sunt hoc ævo scriptorum pæne omnium indices copiosi, indices optimi. Quid fatiger frustra? ab indicibus petam, quod lubet discere.

EVLGG. Has voces jam novi. Hoc pigri aut juvenuli ab experientia invalidi dicunt. Novi ego imperitissimos hoc se fermuculos. Sunt adolescentuli vix litteris primis leviter tincti, qui his sese inaniis quietos reddunt: Ad indices, ajunt, confugiemus, & eruenus inde non grandi labore quidquid placuerit. O boni pueri, erratis toto celo. Consilium ridiculum & vanum. Expertus sum ego ipse sæpissime, inter indices plerumque id minimè inveniri, quod maximè quaritur. Non dicam, quod amplius est, à plurimis ipsam querendi artem ignorari, præsertim cum indices sibi sint dissimilimi. Sed neque hic indices in jus ambulare cogam, qui sæpe fallunt, & ludificant quarentem fallis numeris; non raro magnum quid pollicentur, & vix pauculas repræsentant vocolas. Quoties totas horas, totos imò dies jejunos & avidus scrutator indices pervegitat, & vix quidquam, quæ ad rem sit, expiscatur; oleum perdit, & operam ludit. Quid? quod auctores plurimi, eos indices, quos suis libris atroxunt, non ipsi conficiant, sed id genus opera aliis committant. Hinc errores in indicibus innumeri. Hoc autem creberrimè fieri, certò mihi constat. Quid verò facias libris illis, qui quidem optimi, sed nullos habent indices? undique repulsam ferimus. Verùm, ut sint ista, quæ opponebas, verissima, numquam tamen alienis tam jucundè, nec tam appositè, neque utilitate tanta, ut nostris utimur. Et, o mi Faustine, serum nimis est, cum monstranda eruditio, eam ex alienis libris, aut librorum indicibus constari effodere. Negotium anceps & reverà fallax est, velle fieri eruditum ejuscemodi Elenchis & Nomenclaturis.

Sed omnes pulchellas rationes istas excogitat pigritia. Hæc, ut scias, nonnumquam ingeniosa est, præsertim in sui patrocinium. Quod Excerpti curam aver-

Ratio unica cur a-

A semur, ratio pæne unica hæc est: Odinus laborem & versutem fugimus. In eo res vertitur, pigri sumus, & molestiam curamque evitandi nolumus subire; ideo legimus, & nihil nobis cerpendi feligimus, ut non laboremus. Operosum nobis videtur semper ad manum habere chartam, calamum, atramentum, & inter legendum; modò scellâ surgere, modò has, modò illas chartas prehendere, lectionem turbare, scripturionem interjungere. Lectores esse otiosos volumus. Ita dum alimus desidiam, fovemus ignorantiam. Hoc uno nobis blandimur, quòd multa legerimus. Optimè dixit Aristippus: Non, qui plurima comedunt, ut perinde sani sunt; Latere. item non qui plurima legunt; ut perinde docti sunt. Apage mihi otiosulos lectores illos, qui animi tantum voluptatis, & otii causâ legunt, qui, ut tempus fallant, librum arripunt, & quod fors obtulerit, curiosis oculis percurrunt. His omnibus illud Plinii insulfurandum: Poterat, o boni, has horas non perdere. Quæ enim hæc lectio est, quæ nihil in Adversaria, nihil in scriinia recondit, quæ oblivioni & ventis spargit, si quid boni seminis reperit. Idem isti faciunt, quod qui multum edendo ingerunt, & nihil digerunt. Ut concoquas, sic comedes; ut excerpas, sic lege. Hoc litterarum supellectilem parat, hoc seriam eruditionem conciliat. Non caret res labore, fateor, quid autem magni sine hoc mortalibus venditur? Novi ego complures mediocri ingenii homines, qui per hanc ipsam Excerptorum industriam evaserunt ad magna, eruditioberaliter Notæ dederunt & Excerpta. Hoc verè tuum est, quod tuum feceris annotando, hoc tibi utilissimum experieris, quod in tuam extraxeris utilitatem excerpando.

In primæ partis coronidem do testem virum doctissimum Franciscum Sacchinum, qui hæc ipsam Notandi sollicitiam summè approbans, his omnino verbis: Maximi, ait, quique viri & commendant, & adhibent sedulam Excerptandi curam. Prefectò fidem superat, si quis & accuratè, & continenter scripto conservet, quidquid constans lectio memoriâ dignum in eis offert, quanta, quam brevi egregiarum rerum copia congeratur.

Verissimum est, & oraculum puta. Testes adjungo mihi familiarissimos, qui mirari se ajebant, & verò etiam lætari litterariam supellectilem suam tam suaviter tempore non adeò multo è Notis crevisse. Levibus impendiis licet hic dicescere: Faustine non legendum tantum, sed & excerpendum. Atque hæc præfari oportuit. Jam constat, ni fallor, Excerptorum necessitas: quæ autem eorum methodus, & quomodo excerpendum sit, parte alterâ trademus. Atque ita jam diem deduximus ad umbilicum. Pars altera in pomeridianum tempus commodè rejicietur. Tu verò meus hodie conviva eris. Sed morem meum nòsti, nec Plautinum illud ignoras: Propter te vicina non videbit majorem fumum. Eamus; vocat mensa, sed, quod præmoneam, frugalis.

